

tribuuntur; ut sunt. I. *Nativitas*. Rom. 1, 3: *Filius DEI natus est ex semine David, secundum carnem, qui declaratus est Filius DEI*. Gal. 4, 4: *Misit DEUS filium suum, natum ex muliere*. II. *Conversatio inter homines*: *verbum habitavit in nobis*, Johan. 1, 14. *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostrae contrectaverunt, de VERBO vita*; illud testamur & annunciamus vobis, 1. Johan. 1, 1. III. *Passio*; *CHRISTUS passus in carne*, 1. Pet. 4, 1. *DOMINUS gloriae crucifixus est à Judaeis*. 1 Cor. 2, 8. IV. *Mors*. *CHRISTUS passus est, mortificatus carne*, 1. Pet. 3, 18. *Dux vita est interfectus*, Act. 3, 15. V. *Sepultura*. *Venite & videte locum, ubi positus erat DOMINUS*, Matth. 28, 6.

2. *Attributio illa fieri debet non in abstracto, sed in concreto.* 31. *Secundum est, quod dicitur, attributionem illam fieri debere non in abstracto, sed in Concreto. Alias enim huiusmodi passiones & imbecillitates ad divinam naturam in abstracto referrentur, quæ tamen nihil passa est, ut monstrat Flavius apud Theodoretum Dial. 3. c. 28. p. 134: Καὶ σωρὸς ἡμῶν μὲν παρρησίας κηρύσσεται, καὶ θάνατον οὐδὲ σωτικὸς παρ' ἡμῶν ὁμολόγηται, ἔσθ' ἐν τῆς θεότητι παθόντος (ἀπαθὲς γὰρ τὸ θεῖον) ἀλλὰ τὸ σῶμα τὴν ὀικονομίαν τὴν ἀληθινὴν: Et crux nobis liberè predicatur, & mortem Dominicum nos confitemur, divinitate nihil passâ (divina enim natura passionibus non est obnoxia) sed corpore officium dispensationis explete. Similem locum lege apud Epiphanium lib. 3. Tom. 2. fol. 433.*

3. *In Communicatione huius explicatione distinguens particula adhibenda est.* 32. *Tertium est, quod dicitur: In Explicatione distinguentem particulam adhibendam esse. Hinc regulam huius gradus hanc posuerunt: Sublimia & excelsa ad sublimem & divinam, humilia ad humanam CHRISTI naturam sunt referenda: Ut scilicet in ipsâ etiam arduissimâ unione proprietates naturarum non confunderentur, sed distinguerentur, nec tamen divellerentur: quia*